

etiam continebit, vt dictum est, ambitus Firmamenti ambitum terræ; Immo secundum aliquos plures semidiametri terræ interjiciuntur inter eius centrum, ac Firmamentum. Quæ cum ita sint, non immerito dicitur terra habere insensibilem quantitatem, esseq; instar puncti indiuisibilis respectu Firmamenti. Quoniam enim sphæræ habent (per vltimam propos. duodecimi) propositionem diametrorum triplicatam, si ponatur terra 1. erit totus globus solidus Firmamenti, si vera est supra dicta distantia, 261453415414087289, fere, vt cuilibet in præceptis Arithmeticorum vel mediocriter versato manifestum esse potest. Constat autem vnitatem nihil fere esse, si cum tanto numero cõparetur.

DICIT etiam Alphraganus, quod minima Stellarum fixarum visu notabilium maior est tota terra: Sed ipsa Stella respectu totius firmamenti est sicut punctus, & centrum: Multo igitur fortius terra est punctus respectu Firmamenti; cum sit minor ea.

## COMMENTARIVS

CONFIRMAT tertio medio, quod auctoritati Alphragani innititur, terram esse veluti punctum, vt perspicuum est in ipsa litera. Non autem solus Alphraganus dicit minimam Stellarum, quæ visu percipiuntur, maiorem esse terra; verum etiam idipsum omnes Astronomi vnanimi consensu asserunt.

VT AVTEM intelligatur, de quibusdam Stellis minimis auctor noster ex sententia Alphragani, & aliorum Astronomorum locutus sit, pauca mihi videntur dicenda de Stellis in vniuersum; quot videlicet numero obseruatae sint ab Astronomis, & quâ pportionem earum magnitudines habeant ad magnitudinem terræ. Astronomi igitur omnes Stellas fixas in Firmamento visu perceptibiles diligenter obseruantes deprehenderunt, eas esse numero duntaxat 1022, exceptis paucis quibusdam, quæ iuxta polum antarcticum antiquis prorsus incognitam maximæ, ac lucidissimæ inuentæ fuere; quæ nimirum comprehenduntur inter polum Antarcticum, & parallelum, qui ab Æquatore gr. 62 fere, a polo vero Antartico, gr. 28. fere recedit. Vltra enim hunc parallelum nulla Stella in globo caelesti reperitur. Sunt quidem plurimæ